

Linea ueri motus Solis est quæ à centro mundi ducta per centrum Solaris corporis ad zodiacum extenditur. Et uerus Solis motus siue appa-rens in zodiaco ab initio Arietis usq; ad hanc lineam computatur.

Linea mediij motus Solis est, quæ à centro mūdi usq; ad zodiacum ducitur, ei æquidistans quæ à centro deferentis ducta intelligitur ad Solaris corporis centrum. Et medius motus siue æqualis à principio Arietis usque ad lineam mediij motus computatur. Initium Arietis appellamus Vernam sectionem eclipticæ octauæ spheræ, non imaginis initium, sed secundum Purbach. sectio est eclipticæ primi mobilis & æquinoctialis.

Argumentum Solis est arcus eclipticæ inter lineam augis & lineam mediij motus Solis, & est similis arcui eccentrici inter ipsam augis lineam & centrum Solis in periphæria ab ipso Solis centro annua reuolutione descripta.

Æquatio siue diuersitas inter æqualem motum & apparentem est arcus eclipticæ inter ipsas duas lineas æqualis motus & apparentis.

Quando nihil argumenti habetur, aut sex communia signa quæ gradus 180. complectuntur, nihil æquationis habetur, propter linearum ueri nec non æqualis motus coniunctionem.

Sole existente in linea à centro mūdi ducta super lineam augis perpendiculari, quam quidem Purbach. mediæ longitudinis appellat. Ptol. uerò medium transitum maxima fit æquatio siue diuersitas. In alijs autem locis pro argumenti uarietate uersus augē & oppositū augis decrescunt.

Quando argumentum minus est 6 signis, linea mediij motus lineam ueri præcedit: & idcirco æquatio tunc subtrahitur ab inuēto medio motu, ut uerus relinquatur. Sed quando argumentum maius est 6. signis linea ueri motus lineam mediij præcedit: & propterea additur æquatio medio motui, ut uerus inueniatur.

Annotationis prima.

EXactissimis obseruationibus ingressus Solis in æquinoctialia puncta anni quantitas cognoscitur. Per quam quidem si gradus 360. diuiserimus, æqualis Solis motus unius diei patefiet. Et ad hunc modum tabula mediij motus Solis numeratione composita est. Ex medio autem motu cognito, & ingressu Solis in æquinoctialia & Solstitialia puncta, locus augis innotescet Geometrico syllogismo: & proportio quoq; semidiametri deferentis ad distantiam centrorum Atq; ex his argumenti magnitudo ad omnem situm, & æquatio siue diuersitas inter æqualem motum & apparentem in rectilineo triangulo, in quo semidiameter deferentis cum distantia centrorum angulum continet distantie Solis ab opposito augis: basis uerò distantia est eiusdem à mundi centro. Horum demonstrationes apud Ptolemæum sunt in libro tertio Magnæ compo-

tionis